

3 interim equitum turmae, *ut* fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere. et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant ; minimeque aequa nostris iam pugnae facies erat, cum aegre clivo instantes simul equorum corporibus 5 impellerentur ; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

37 Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, de- 10 gredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius 2 adcurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque prae- 15 cepto ducis a fronte pignantium alae aversam hostium aciem invasere. tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum : sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis 3 trucidare. iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes 20 ultro ruere ac se morti offerre. passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus ; et aliquando etiam victis ira 4 virtusque. nam postquam silvis adpropinquaverunt, primos sequentium incautos collecti et locorum gnari circumveniebant. quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas 25 cohortis indaginis modo et, sicubi artiora erant, partem